

B. C. D.  
SPECIMEN ACADEMICUM,  
De

# COMMUNIO- NE BONORUM,

Cujus  
PARTICULAM POSTERIOREM,

*Suffragante Ampliff. Facult. Philosoph. in Regia  
Academia Aboënsi,*

Sub PRÆSIDIO

## HENRICI HASSEL,

ELOQU. PROFESS. REG. & ORDIN.  
nec non h. t. RECT. MAGNIF.

PRO GRADU,

*Bonorum examini modeste submittit*

JOHANNES JONSSON,  
OSTROBOTNIENSIS

Die XXVIII Junii Anni MDCCXLV.

Loco horisque solitis.

ABOË, Excud. JOH. KIEMPE, Reg. Ac. Typ.

*VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo,*  
Dno. GUSTAVO BOGMAN,  
Ecclesiarum Brahestadiensium Antistiti dignissimo,  
Fautori multis nominibus honorando.

*VIRO Perquam Reverendo atque Doctissimo,*  
Dno. GEORGIO SCHUBERTS/  
Comministro urbis Brahestadiensis laudatissimo, olim  
Præceptori fidelissimo, jam Fautori propensissimo,  
jugiter colendo.


*VIRO Perquam Reverendo atque Eruditissimo,*  
Dno ESAIÆ RAVANDRO,  
Verbi Divini Ministro in Limmingo vigilantissimo,  
Fautori & amico certissimo.

*IN tesseram gratissimi animi ob favorem Vestrum singu-  
larem, mihi quovis tempore præstitum, specimen hocce  
Academicum, Nominibus Vestris, Fautores honora-  
tissimi, sacrum facere volui, cum omnigena felicitatis  
adprecazione.*

Nominum Vestrorum

*Cultor indefessus*

A. & R.



§. IX.

*Platonis sententiam de Communione bonorum explicat.*

**P**Lato, excellens ille Philosophus Atheniensis, quum optimæ Reipublicæ, quam animo conceperat, ideam exprimeret, primo loco posuit communionem bonorum, quæ illi res adeo præclara videbatur, ut ad uxores etiam & liberos eandem extenderet. Sic enim fore existimabat, ut nunquam inter cives exaudirentur verba illa: *Meum & Tuum*, quæ omnibus in Republica discordiis occasionem præberent. Ita audiunt verba ejus in latinum sermonem verba: *Prima igitur, inquit, & civitas est, & reipublica forma, & leges optimæ, ubi quam maxime per universam civitatem priscum illud obtinet pro-*  
*ver-*

verbum: Omnia amicorum bona esse revera  
 communia. Ulterius adjecit sequentia: Hoc po-  
 tissimum termino virtus definietur, quo nullus  
 rectior poni poterit, si alicubi videlicet aut  
 hoc fit, aut nunquam fiet, ut communes sint,  
 & liberi, communes quoque facultates: &  
 quicquid proprium & peculiare dicitur, ex  
 omni vita omnibus viribus exterminetur: us-  
 que adeo etiam, ut quae propria sunt natura,  
 communia quodam modo fiant: ut & oculi  
 & aures & manus communem in usum cer-  
 nant & agant: laudentque & vituperent peraeque  
 omnes eadem, iisdem rebus gaudentes, iisdem  
 dolentes; iisdem denique legibus vivant, quae vo-  
 nam quam maxime civitatem efficere possint. Qui  
 hujusmodi civitatem incolerent, ubi omnia sic  
 essent communia, isti voluptate & gaudio, jux-  
 ta ejus sententiam, referti, felicem vitam age-  
 rent. Idem Plato voluit quidem, ut domus  
 agrisque sorte dividerentur, neque communiter  
 sed seorsim exerceretur agricultura; ita tamen,  
 ut qui inde provenirent fructus, omnibus essent  
 civibus communes. Ulterius statuit privatim nec  
 au-

5  
aurum nec argentum possideri debere, cum civis  
esse non posset simul dives & probus.

§. X.

*Eandem sententiam refutat.*

**I**N hac sententia Platonis petitionem principii  
primum observamus. Ponit nimirum omnia  
quæ inter homines existunt, dissidia ex qua-  
sitionibus de proprietate rerum nasci, quod  
falsissimum esse multiplex docet experientia.  
Quot enim & rixæ, & verberationes, &  
homicidia aliis omnino causis originem debent?  
Porro patet, quosdam homines tam esse iner-  
tes & otio deditos, ut vix ac ne vix quidem,  
nisi summa urgente necessitate, manum labori  
admoveant; his igitur, qui nihil operæ con-  
tulerunt, si æquale jus competeret ad has vel  
illas res cum eo, cuius labore & industria par-  
tæ sunt; paratissima profecto, ob inæqualitatem  
laboris & fructus, rixarum occasio oriretur,  
contentionumque nec finis nec modus esset fu-  
turus. Constat quoque, quod pluribus commu-  
ne est, in eo curando minimam sæpe diligen-  
tiam adhiberi. Quilibet enim in alterum  
onus transferre cupit; & ubi quid vel negle-  
ctum

Etum prorsus, vel male peractum deprehendi-  
 tur, culpam in alium derivare nititur. Quo-  
 ties hoc in publica quadam curatione est obser-  
 vatum? Posita ejusmodi communione, opti-  
 me de civitate meriti, cum inertissimis  
 eadem uterentur sorte, neque ulla præter ti-  
 tulos & acclamationes vulgi illis præ his esset  
 remuneratio; quod cum justitia distributiva ad-  
 versa fronte pugnaret. Male igitur subducunt  
 rationes, qui sic ratiocinantur; Si nemo opes  
 colligeret, essemus omnes divites, & societas  
 humana bonorum satis haberet; cum autem  
 bona inter paucos potentes dividuntur, tunc  
 pauperes fiunt inconstantes, frudulenti, perfidi,  
 fures, perjuri, seditiosi, turbulenti; divites  
 evadunt elati, avari, luxuriosi, liguriones, pigri,  
 salaces, calumniatores, violenti &c. quæ o-  
 mnia in communione bonorum quiescerent. Ast  
 facilis est responsio: Opes, in se considerata, hæc  
 & alia id genus mala non excitant, sed perversæ  
 hominum affectiones. Ut enim dives opibus suis  
 cordate uti, & pie vitam degere potest; ita inops  
 in paupertate sua insipienter & impie se gerere.  
 Nec homines adeo perfecti facile invenirentur,  
 qui

qui partibus suis ita satisfacerent in communi-  
one, ut nullæ noxiæ sequelæ inde exorirentur.  
Hinc satis apparet, communionem bonorum e-  
juscemodi universalem, felicitatem civitatis ad-  
eo non promovere, ut eandem prorsus destrue-  
ret. Quod autem attinet ad communionem u-  
xorum & liberorum, a Platone etiam commenda-  
tam, hæc sua semet ipsam absurditate conficit,  
nec ulla indiget refutatione.

§. XI.

*Eorum sententias exponit, qui communionem bono-  
rum inter Christianos universalem urgent.*

**N**Ec desunt, qui ex principiis Christianismi  
communione bonorum adstructum eant,  
quorum huc redeunt argumenta: I:º Dicunt com-  
munionem spiritualium bonorum longe præstan-  
tiorum, includere communionem bonorum  
hujus vitæ, quæ caduca sunt, & longe minoris  
pretii. II:º Asserunt bona fortunæ esse munus quod-  
dam Divinū, cujus administratio potius ac dispen-  
satio, quam proprietas ac dominium nobis con-  
cessa sunt. III:º Affirmant fraterno illo amore,  
quo Christiani se invicem prosequi debent, pro-  
prietatem eliminari. IV:º Ad exempla primitivæ

&

& præsertim Hierosolymitanæ Ecclesiæ provocant. Hæc ad capita referri possunt, quæ occurrunt apud Arnoldum \* Talia etiam quotidianis haud raro inter nos usurpantur sermonibus, ut partim ipsi audivimus, partim ex aliorum fide dignorum relatione accepimus.

§. XII.

*Eadem argumenta resolvit.*

**V**erum antequam argumentorum jam adductorum robur examinabimus, considerandum venit, an ejuscemodi communio præcepto quodam legis Divinæ mandata sit. Nam quod ex ratione demonstrari non possit, ex antecedentibus constat. Tale autem mandatum in sacro codice exstat nullum. Quin potius duo decalogi præcepta proprietatem rerum præsupponunt atque in tuto collocant. Christus vero legem veterem non solvit, sed implevit. Neque novo in tædere communio bonorum universalis vel a Salvatore vel ab Apostolis ullibi injuncta reperitur. Quare, cum lex DEI sit

\* Wahr. Abbild. der Erste Schrift. 3. B. VIII. IX. Cap.



sic regula agendorum, deficiente mandato, ne  
 intelligi quidem potest obligatio. Quod attinet  
 communionem bonorum spiritualium, hæc non  
 magis tollit proprietatem, quam si exinde  
 quod veri Christiani dicantur & sint fratres, con-  
 cludere volueris, nullum inter eos esse debere ordi-  
 nem, neque cum Christianismo consistere pos-  
 se Politiam, quod gratis asserti plura novi fœ-  
 deris loca satis aperte testantur. Quia potius,  
 ut cives unius ejusdemque reipublicæ, licet  
 multis utantur communibus, res etiam sibi  
 proprias habent, ita quoque nihil impedit,  
 quo minus, eorundem bonorum spiritualium par-  
 ticipes, bona quædam externa possideant. Bona  
 fortunæ, ut nuncupari solent, esse munus Di-  
 vinum ultro largimur, sed modo ac ordine  
 divinitus instituto obtinendum, h. e. industria  
 & labore, sive in sudore vultus, secundum  
 mandatum Gen. III. 19. expressum. Neque  
 illa, de qua hic agitur proprietas, intelligenda  
 est in oppositione ad DEUM & voluntatem i-  
 ipsius, quasi supremum Ejus dominium, &  
 quæ hinc pendent, excluderet, quod absur-  
 dum foret statuere atque impium. Verum i-

deo proprietates esse non desinit, haud secus atque jus eminens summi imperii in bona civium, proprietatem non tollit. Atque administratio bonorum ac dispensatio ex praescripto Divino peragenda, adeo proprietatem non evertit, ut eandem omnino praesupponat. Fraternalis namque amoris filia est beneficentia, non ore tantum & verbis, sed re & opere ipso exercenda. Qui autem nihil ipse possidet, quomodo aliorum necessitati subvenire poterit? Hinc divino mandato labor nobis injungitur, etiam hanc ob causam, ut adquiramus, unde egenis opitulemur. Proinde, amoris fraterno non repugnat proprietates, sed potius eidem confirmando occasionem praebet. Qui enim ab altero beneficium accepit, hic nisi humanitatis idem sit expers, ad reciprocum amorem eo magis accenditur; quod in communitate expectandum non est, quia ibi unusquisque aequali ad res jure gauderet. Frustra denique urgent exemplum Ecclesiae Hierosolymitanae: Ico namque communitas ista caruit mandato Divino. Est hoc manifestissimum ex verbis Petri ad Ananiam, quem ob  
sub.

subductam partem pretii, agro vendito accepti, reprehendens, in hunc modum alloquitur: *Nonne manens tibi manebat, scil. ager, & vendidatus in tua potestate erat.* \* II: o Communio ejuscemodi apud omnes Christianos eo tempore in usu non fuit. Constat enim, alias Ecclesias ab Apostolis plantatas, exemplum Hierosolymitanæ non fuisse secutas, ut e. g. Thessalonicenses, quos Apostolus hortatur, ut operarentur propriis manibus, ne ullius subsidio indigerent, h. e. ne aliis oneri essent, cum ipsi laborando sibi acquirere possent, quæ ad sustentationem vitæ necessaria essent. \*\* Imo de seipso suisque lociis sic scribit Apostolus ad eosdem Thessalonicenses: *Ipsi, scitis, quod non inordinati fuerimus inter vos, h. e. minime contra ordinem a DEO institutum, inter vos egerimus in quærendis vitæ necessariis, neque gratis panem comederimus ab aliquo: Sed cum labore & modestia noctu & die operantes, ut non aggravaremus quemquam vestrum.* \*\*\*

B 2

Si


\* Act. V. 4. \*\* 1. Thes. IV. II. 12. \*\*\*  
II. Thes. III. 7. 8.

Si communio bonorum inter Christianos esse debuisset universalis, procul dubio Apostoli quoque mandatum universale de eadem recipienda omnibus Ecclesiis dedissent; quod nullibi legimus, sed potius tam in veteri quam novo Testamento severissime prohibentur furta, rapinae, & qualibet crimina proprietatem labefactantia, quemadmodum iustitia & alieni abstinentia, eandem conservantes, commendantur præcipiunturq;. I. Cor. XVI. 1. Dicit quidem Apostolus se instituisse in Ecclesiis Galatiæ, ut aliquid in sanctorum usum colligerent, monetque Corinthii idem facerent; aut ex collatione libera atque particulari, necessaria & universalis communio bonorum exculpi non poterit. Nec illam rationem spernendam esse existimaverim, quod primi Christiani, persecutioni quotidie expositi, consultius duxerint, uno in loco, eoque maxime securo, asservare opes suas, quam illas promiscuæ rapinae infidelium relinquere. His inter se collatis, unicuique, qui talpa cecior non est, patere crediderim, ex communione primitivæ Ecclesiæ non concludi posse ad communionem bonorum inter Christi-

sti.

13  
stianos necessario universalem. Plura, quæ ad  
hanc rem pertinere possunt, temporis brevitatis  
proferre inhibet. Hic igitur tractationi no-  
stræ finem imponere cogimur, officiose rogan-  
tes, velis, Benevole Lector, quæ desiderantur,  
Tua bonitate supplere, & quæ forte occurrunt  
minus accurate dicta, pallio benivolentiæ velare.

S. D. G.



A Monsieur le CANDIDAT  
Auteur de cette Savante Dissertation  
MONSIEUR.

*SI jamais événement pouvoit m' être agréable, c' est Sans contredit celui, de Vous Voir mettre au jour un ouvrage qui ne peut que Vous concilier l' estime & la bienveillance de toute personne entendue. La matiere que Vous traitez, Monsieur mon cher ami, quoiqu' épineuse en elle même ne Sauroit mieux être éclaircie que par le juste tempérament que Vous y aportez. Voilà l' effet que produit une étude bien dirigée, les muses aiment de favoriser ceux qui à votre exemple, leur font assidûment la cour. Comme tous les biens entre amis, sont communs Vous pouvez juger, Monsieur de la part que je prens à celui que Vous recevez, je Veux dire à l' honneur & à la gloire que tout homme desintéressé ne peut équitablement Vous refuser. Pour moi Monsieur, si j' ose m' en prévaloir à cette fin, je ne Vous cacherai point un autre endroit qui ne m' est pas moins Sensible, c' est celui de me dire très sincérement.*

MONSIEUR.

*Votre très obéissant serviteur & très fidele ami*  
ABRAHAM FALANDER,  
D' Ostrobotnie.

Clarissime Dn. CANDIDATE

Amice singularis;

**P**ostquam nobis innotuit, Clariss. Dn. Dissertationem Tuam Gradualement, sub prelo jam sudare, Teque propediem in publicum iterum esse proditurum, vix ac ne vix quidem dicere possumus, quanta simus affecti animi letitia. Monuit igitur tam eruditio Tua singularis, quam candor atque probitas eximia, ut non tacite modo Tua agnosceremus merita, sed etiam publice nostrum in Te declarem animum gratum, Tibique addictissimum. Tu quippe semper de nobis bene meruisti, Tuamque sapientiam experti sumus benivolentiam, inde a pœritia ad presens usq; tempus, cuius etiam usuram in posterum nobis enixe expetimus. Proinde gratulor Tibi Clariss. Dn. optimas ingeni dotes, & cum his conjunctam morum suavitatem viteque integritatem incorruptam. Gratulor Tibi felicissimos, quos in hac

Literarum Sede fecisti studiorum progressus.  
Quos jamjam adepturus es, honores Academicos Ti-  
bi Gratulor: Ultimo loco gratulor omnibus Tibi  
sanguinis ac amicitia vinculo conjunctis, &  
inter illos nobis etiam, qui, quominus horum nu-  
mero includamur, nulli dubitamus. Sincere ae-  
nique optamus, ut, adspirante fatorum benigni-  
tate, eruditionis ac virtutis Tux fructus consequaris  
aberrimos! Vale & fave

TUI

Studiofissimo  
ADAMO BERG,  
Ostrob.